



400



Q. D. B. V.  
DISPUTATIO METAPHYSICA

De  
EODEM ET  
DIVERSO,

Ad illustrandum inprimis c. 9. Lib. 5. & c. 5. Lib. 10. Metaph. Arist.

QVAM

Amplissimâ Facultate Philosophicâ con-  
sentiente in alma Lipsiensi Academia,

PRÆSIDE

VIRO CL.

M. VALENTINO FRIDERICI,

S.S. Theol. Baccal. Facult. Philos.

Assessore,

*Fautore ac Præceptore suo omni honoris cultu*

*perpetim suscipiendo,*

Publicæ Disquisitioni

*exponit*

EBERHARDUS Kühn/ Libaviâ-Curonus.

A. & R.

die 27. Martii A. O. R. M. DC. LXXV.

H. L. Q. S.

LIPSIÆ,

Literis JOHANNIS ERICI HAHNII



DI. TATE. 10.

OPPO

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

21


22

23

24

25

26



nos  
cult  
egea  
falte  
firm  
tiva  
Loc  
vide  
ritu  
Esse  
mod  
ver  
usq  
Per  
real  
ter  
rat  
hilo  
tes,  
loca  
sub  
den  
mag  
ver



I. N. 7.  
Disputatio Metaphysica  
De  
EODEM ET DIVERSO.  
P R Æ F A T I O.

**O**gitantibus de speculativâ aliquâ, eâq; utili ad disputandum materiâ, Idem & Diversum incidit. Thema fanè hujusmodi, quo carere possit Eruditorum nemo. Enimverò eruditum esse quid aliud putemus, nisi rerum nosse non minus convenientias quàm differentias? Nulla fanè Facultatis ullius pars, quid? nulla periodus est, quæ doctrinâ hac non egeat. In Logicis pariter ac Theologicis quàm conducat, paucis saltem commemorabo. Quòd Logicorum prædicationes tum affirmativæ tum negativæ dicto dogmate nitantur, liquet: affirmativæ quidem Identitate; negativæ verò Diversitate. Quid dicam de Locis Topicis, ad quos tantum non omnes impendiò conducere videmus. In Theologia splendor ejus quoque irradiat, cum quæritur: quomodo Attribute DEI sint diversa tum inter se, tum ab Essentia Divinâ? quomodo subsistentia differat ab essentia? quomodo potentia in DEO à scientia ac voluntate discriminetur? At verò splendorem illius immane quantum obscurant Photiniani usque adeò, ut Goslavius contra Kekermannum part. 1. disputet, Personas Deitatis non esse singularis ejusdem essentiæ, eò quòd realiter distingvantur: Opponuntur, inquit, contradictoriè, realiter distingvi & eadem essentia numero. Verum enimverò, totâ errat viâ: an nescit, diversos unius subjecti modos singularem nihilominus essentiam eandem intimè, intimè, inquam, includentes, differre realiter? Nec est, quòd tres Personæ Matth. 3, 16. 17. localiter, atque sic, juxta ipsos, essentialiter distinctæ videantur; sub diversis tantummodo figuris distinctisq; apparitionibus eandem, nequaquam diversam numero essentiam illic apparuisse, magno consensu docent Theologi, quemadmodum sanitas in diversis corporis partibus conspiciendâ se exhibet diversimode, ru-





Sächsische Landesbibliothek –  
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden

<http://digital.slub-dresden.de/id372558062/6>

gefördert von der **DFG**  
Deutschen Forschungsgemeinschaft



Sächsische Landesbibliothek –  
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden

<http://digital.slub-dresden.de/id372558062/7>

gefördert von der **DFG**  
Deutschen Forschungsgemeinschaft



sentit par nobile Metaphysicorum, *Scheiblerus lib. 1. Met. c. 8. §. 1. & Svarez. disp. 3. sect. 2. §. 12.*

§. 4. Affectio prima *a*) est, cum ex unitate fluat proximè atqve immediatè, & à reliquis mediatis Affectioibus entis, (ex unitate ortis) quasi præsupponitur, ita ut Simplex & Compositum, Totum & Pars, Universale & Singulare, quæ fluunt ex Unitate, ens dici nequeant, nisi sint prius Idem vel Diverfum. Mediante multò Diverfum dicitur de ente, imò etiam Diverfum deducitur ab uno, quatenus unum infert divisionem ab alio.

*a*) Sicut Identitas explicatur per indivisionem unius, utpote hominis & bestiae in esse animalis: ita Diverfitas & Distinctio rerum radicatur in Divisione unius ab alio. Quæ Diverfa sunt, multa sunt, & quæ multa sunt, inter se Diverfa sunt & dicuntur.

§. 5. Licet verò Idem sit ex Uno; Idem tamen & Unum non uno modo differunt.

Differunt 1) Unum est affectio entis *absoluta & simplex*, quæ enti, absolute considerato competit: quippe remotis omnibus aliis dicitur quid Unum; sed Identitas est membrum *Disjunctæ* Affectiois & *respectivum* quid. 2) Unum est negatio *divisionis*, at Idem est negatio *Distinctiois*. 3) Unum designat negationem divisionis *in se*; Idem verò negationem divisionis *à se* h. e. ab eo, quod cum ente Idem esse dicitur, ut habet *Svarez*. Sed præstat affectioem hanc disjunctam separatim considerare. Prius igitur agemus de Eodem seu Identitate, deinceps de Diverfo seu Diverfitate.

*Aphor. II.*

Idem accipitur *negativè vel relativè; specialiter vel generaliter; substantivè vel adjectivè.*

§. 6.

Idem sumitur 1) negativè vel relativè: *negativè seu fundamentaliter* prout non est ab alio diverfum seu distinctum *a*);  
rela-



relativè seu formaliter, in relatione vel ejusdem ad se b), vel unius ad alterum c).

a) Hoc sensu aliquid sibi ipsi esse Idem potest, quia non est diversum, vel divisum à seipso. Unde & Idem fundamentaliter sumtum, explicari solet in illa Identitate, quâ quid sibi Idem dicitur. b) h. e. in relatione *rationis*, quum res eadem refertur ad seipsam, ut, si Johannes, secundum numerum Idem dicatur cum semetipso, vel cum hic homo dicitur sibi ipsi amicus. c) h. e. in relatione *rei*, cum res comparatae sint diversae, ut, si Johannes dicatur Idem cum Jacobo secundum staturam, & tum ab unitate rectè & verè distinguitur, non quidem reipsa, sed per superadditum respectum. Vid. *Svarex. disp. 7. sect. 3. §. 2.* pluribus.

§. 7. Idem sumitur 2) si relativè accipitur, *specialiter* vel *generaliter*: *specialiter* & *strictius* notat identitatem seu convenientiam in tertio aliquo essentiali a); *generaliter* vero & *latius*, pro omni convenientiâ in tertio sive essentiali sive non essentiali b).

a) Sic Philosophus 5. *Met. c. 9.* ὡν ἡ ὕλη μία, ἢ εἶδος, ἢ δριθμῶ, ἢ γένος ταυτὰ λέγει. καὶ ὡν ἡ ἔσσια, quorum materia est una, aut specie, aut numero, aut genere dicuntur Eadem, & quorum substantia (essentia). Hoc sensu dicitur, Similia non esse ταυτὰ Eadem, ut ipse loquitur 10. *Metaph. c. 5.* ὁμοια μὴ ταυτὰ ἀπλῶς ὄντα, Similia non simpliciter eadem sunt.

b) Sic Philosophus eodem 10. *Metaphys. c. 5.* ait: ὁμοια κτ' τα εἶδος ταυτὰ ἢ, Similia specie sunt Eadem, v. g. Homo & brutum identificantur non in tertio tantum essentiali, in animalitate; verum etiam in accidentalibus, in sensuum tam internorum quam externorum exercitio.

§. 8. Idem sumitur 3) *Substantivè* vel *Adjectivè*: *Substantivè* tum in genere *Masculino* a) notans unitatem ac convenientiam in singulari quodam supposito; tum in genere *Neutro* b), atque tunc unitatem in eadem essentiâ infert; *Adjectivè* c) sumitur, quod id omne, quod quamcumque cum alio convenientiam habet, Idem cum eo esse dicitur.

a) v. g. Paulus est Idem ante & post conversionem; Petrus & Paulus non

non



non sunt Idem (Homo scil. vir, Apostolus &c.) & Catholica Ecclesia de adorandæ *Τριάδος* Personis Masculinè sic loquitur: non sunt Idem Pater & Filius, nam in Deitate est *ἄλλο καὶ ἄλλο*.

b) Ut Plato & Socrates sunt Idem (essentia seu natura). Unde Orthodoxa Ecclesia rectè negat, in Deo esse *ἄλλο καὶ ἄλλο*, ut Filius à Patre non sit *ἄλλό τι* (alia essentia vel natura) etsi est *ἄλλο*.

c) Adjectivè sic sumitur, ex quacunqve tandem sumatur Categoria, A nobis Idem sumitur potissimùm formaliter & Adjectivè.

*Apbor. III.*

**Idem est Affectio Entis <sup>a)</sup>, quæ plura aut quasi plura <sup>b)</sup> in aliquo tertio conveniunt.**

§. 9.

**D**Escriptio hæc c) desumpta est ex *5. Met. c. 9.* verbis illis: *ἡ ταυτότης ἐνότης τις εἶναι, ἢ πλειόνων τε εἶναι. ἢ ὅταν χεῖν* *πλείοσι, Identitas unitas est quædam ipsius esse, aut plurium, aut cum quovis uno, ut pluribus, utitur. Scharffius Theor. Transc. disp. 14.* ita definit: Idem seu Identitas est modus entis, quo sub statu convenientiæ vel res refertur ad seipsam, vel res refertur ad rem, vel realitas ad realitatem, vel realitas ad rem seu essentiam, cujus respectu realitas dicitur.

a) Identitatem esse entis affectionem, patet, quia ea, quæ §. 1. memorata, ei tribui possunt. b) Plura aut quasi plura sive substantia, quarum propria est Identitas & Diversitas, sive transmutativè cæterorum Generum, ut habet *Thomas in 10. Metaph. lib. 4. c. 10.* Est autem Substantia vel, quod se habet per modum Substantiæ, fundamentum remotum, proximum autem est unitas vel convenientia, unde dicimus, quod convenientiant vel uniantur plura. c) Descriptio utraqve & Aristotelis & Scharffii est ex membris.

*Apbor. IV.*

**Eadem alia dicuntur per *Accidens*, alia per *se*.**

**H**abet distinctionem hanc Philosophus <sup>a)</sup>, qui quinque gene-



genera eorum, quæ Eadem sunt per Accidens, commemorat, tria in simplicibus b), & duo in compositis c).

a) §. Metaph. c. 9. cum statim ab initio dicit: ταυτὰ δὲ λέγε, τὰ μὲν καὶ συμβεβηκός, Eadem verò quædam secundum Accidens dicuntur. (Quibusdam interpositis): τὰ ἢ καθ' αὐτὰ, ὡς περὶ τὸ ἐν, Quædam verò per se, sicuti ἔκαστον. b) In simplicibus tria 1) τὸ λευκὸν καὶ τὸ μουσικόν, album ἔκαστον musicum, ὅτι πατέρων πατέρω συμβέβηκε, quia alterum alteri accidit. 2) ἄνθρωπος καὶ μουσικόν. 3) τὸ ἢ μουσικόν καὶ ἄνθρωπος. c) In compositis, dum dicit: ἐκάτερον ἢ τὸ τῷ, καὶ τῷ ἐκάτερον ἐκείνων, utriusque, verò hoc ἔκαστον utriusque illorum, καὶ γὰρ τῷ ἄνθρωπῳ τῷ μουσικῷ, καὶ ὁ ἄνθρωπος καὶ τὸ μουσικόν ταυτὸν λέγε, Etenim homini Musico, ἔκαστον ἔκαστον idem dicitur ἔκαστον illud. Clarius: Compositum ex Subjecto & Accidente Idem est per Accidens, quod utrumque separatim, & vicissim illa separatim accepta Idem sunt, quod compositum. e. g. Homo musicus est homo, vel est Musicus. Item: Homo vel Musicus est homo Musicus. Fonseca in Commentario ad h. l. advertit: etsi, inquit, ex utraque parte dici possit, unum esse Idem alteri, & subjectum videlicet prædicato, & prædicatum subjecto, melius tamen dici, subjectum esse Idem prædicato, quàm prædicatum Subjecto.

§. II. Distinctioni Philosophus l. c. subjungit: καὶ ταυτὰ πάντα καθόλου ἢ λέγε, Et hæc omnia universè a) non dicuntur, sive Enunciatio efferatur de Universalibus b) sive de Singularibus c).

a) Quia non ex vero dicatur, ὅτι πᾶς ἄνθρωπος ταυτὸν καὶ μουσικόν, quod omnis homo ἔκαστον musicum sit Idem. Addit causam: τὰ γὰρ καθόλου, καθ' αὐτὰ ὑπάρχει, τὰ ἢ συμβεβηκότα, ἢ καθ' αὐτὰ, ἀλλ' ὅτι καθ' ἕκαστον ἀπλῶς λέγε, Universalia enim per se insunt, Accidentia verò non per se, sed in Singularibus simpliciter dicuntur esse. b) De Universalibus quidem, quia ea sola, quæ dicuntur per se de Universalibus, dicuntur de illis universè, v. g. Omnis homo est animal, aut risus capax, non verò: omnis homo est musicus. c) Licet ea, quæ per Accidens dicuntur, dicantur simpliciter de Singularibus h. e. non ratione alicujus partis subjectæ, seu (quod in idem redit) sine signo particulari, tamen propterea non dicuntur universè, B quia



quia singularia non prædicantur de pluribus, neque illis ob eam causam præponitur signum universale. Haftenus Eadem per Accidens, quæ stilo *Combacii Metaphys. Lib. 1. c. 22.* dicuntur Identitas ratione subjecti, cui contradistinguit Identitatem ratione formæ, ejusdemque vel secundum rem integram, vel quoad gradum; Vide hæc apud *Scharff. Theor. Transc. disp. 14. §. 13. seqq. pag. 805. 806.*

§. 12. De iisdem per se Philosophus: τὰ δὲ, inquit, καὶ αὐτὰ, ὡσπερ καὶ τὸ ἓν, *Alia autem per se, quemadmodum & ipsum unum.*

Subjungit: καὶ γὰρ ὧν ἡ ὕλη μία, ἢ εἶδος, ἢ δριθμῶν ἢ γένει, ταυτὰ λέγει, καὶ ὧν ἡ ἰσότης, *Nam & quorum materia est una, ea aut specie, aut Numero, aut Genere dicuntur Eadem, & quorum Substantia una.* Dicit tot Eadem per se esse, quot unius per se, unde colligit, Identitatem esse quandam unitatem i. e. fundari in unitate quâdam, quæ est unitas substantiæ vel Essentiæ, quo pacto similitudo dici potest unitas accidentariæ qualitatis, & æqualitas, unitas quantitatis; in sensu nimirum causali. Neque enim hæc sunt formaliter unitates, sed relationes quædam in unitatibus prædictis.

*Apor. V.*

**Eadem per se sunt vel Singularia,**  
*vel Universalia.*

§. 13.

**E**adem per se *Singularia* sunt, quæ subjecto seu supposito non distingvuntur *a)*. *Aristoteles* ea subdistingvit *b)*.

*a)* v. g. hoc album & hoc musicum, si unum & idem suppositum & album & musicum est, ut Plato Juvenis, & Plato senex. Sic idem Numero sunt Albi Dresdensis, Witebergensis & Magdeburgensis. *Aristoteles* & Præceptor Alexandri M. erant unum idemque Numero Ens, nam qui erat *Aristoteles*, etiam erat Præceptor Alexandri Magni. Sic hic studiosus, hic homo, sunt unum & idem Numero. Eadem *Singularia* dicuntur *5. Metaph. c. 9.* τὰ καὶ αὐτὰ δριθμῶν *Eadem Numero*, vel *10. Metaph. cap. 5.* καὶ δριθμὸν. Atque hoc  
**Idem,**



Idem, hoc unum, hoc suppositum, inquit Philosophus 10. Met. 5. dicimus interdum αὐτὸ ἰψὺν, quod verbum est propria nota rei singularis, per se omnino subsistentis. Averröes ad prædictum locum Aristotelis ait, ea esse unum Numero, quæ numerari non possunt. Alensis, more Scholasticorum, definit Eadem Numero, quæ non ponunt in numerum, quod eodem recidit. b) 1. Topic. 7. Eadem Numero dicuntur 1) ὅταν ὀνόματι, ἢ ὅρα τὸ ταυτὸν διπλοῦν. Quando nomine aut definitione Eadem dicuntur, ut indumentum & vestimentum, animal pedestre, bipes & homo. 2) ὅταν τῷ ἰδίῳ cum propria scil. Eadem dicuntur, ut scientiæ susceptivum & Homo: item quod naturâ sursum fertur & ignis. 3) ὅταν διὰ τὴν συμβεβηκότων, cum ratione Accidentium, ut sedens & musicum & Socrates.

§. 14. Eadem Singularia possunt etiam distingvi, in a) primaria & secundaria b).

a) Eadem singularia primaria sunt, quæ simpliciter & propriè unum sunt Numero v. g. cælum, cui nihil accessit, nihil etiam notabile decessit. Arist. 1. de gener. 5. corr. c. 4. tres suggerit unitatis Numericæ gradus 1) cui nihil decedit aut accedit, & hic est principalissimus & primus unitatis numericæ gradus. 2) Cum principale idem Numero manet, quamvis particula nonnullæ decedant v. g. humanum corpus individuum Idem numero manet in pueritia ac senectute, respectu Petri, utut quædam absumantur & sic decedant, quædam per nutritionem accedant. Perinde Idem Numero dicitur, cui pes vel manus, vel digitus vel pars alia abscissa est cum eo, qui antè erat cum esset integer. 3) Idem numero dicitur, cujus partes sunt in successione continua v. g. fluvii, qui Lipsiam jam præterfluunt, idem Numero sunt tales, cum iis, qui ante quinquaginta annos præterfluxerunt, quia continuæ partes partibus succedunt. Huc pertinet quod Arist. 6. Met. c. 5. habet, ubi ad Idem Numero refert, etiam Idem συνέχεια seu continuatione; unde 5. Phys. 3. definitur continuum, cum extrema sunt Idem. Distingve verò inter continuum primarium & secundarium: illud naturale; hoc artificiale, dixeris. Tale continuum primarium unum idemque lignum, una eademque arbor est. Secundarium vel artificiale fit, cum cla-



vo vel glutine aliove modo res connectuntur, de quibus mox in  
seqq.

b) Eadem Singularia *secundaria* sunt, quæ extrinseca quadam conjun-  
ctione unum Numero vel Individuo sunt v. g. vel sub uno *Vexillo*  
*aut Duce*, ut exercitus; vel sub uno *capite*, ut Ecclesia sub Christo;  
vel *vinculo uno*, ut fascis; vel *glutine*, ut duo asseres; vel *cohesionem lo-*  
*ci*, ut acervus frumenti; vel *commixtione quadam*, ut farina & aqua.  
Referas huc non incommode contigua, quæ *Arist. 5. Met. c. 3.* dicit,  
quorum extrema sunt simul.

§. 15. Eadem Universalia sunt vel *Univoca* vel *Analo-*  
*ga*. Eadem Universalia *Univoca*, quæ vel *Genere a)*, vel  
*Specie b)*, sunt Eadem.

a) Genere sive *proximo*, ut homo & leo in animali, sive *remoto*, ut ho-  
mo & leo in corpore, sive *remotissimo*, ut homo & leo in substantia.  
Huc pertinent omnia illa, quæ sunt in uno prædicamento, sicut cæ-  
lum & homo conveniunt in Substantia; Qualitates omnes in Qua-  
litate. Sic sentit etiam *Damascenus*, qui eadem Genere ita definit:  
*Ὁμογενῆς, inquit, εἰσὶν, ὅσα ὑπὸ τὴν αὐτὴν κατηγορίαν τάσσονται,*  
*Homogenea sunt, quæ cum sint distincta, in eodem sunt Prædicamento.*

b) Eadem specie infimâ *πρώτως* ita dicta dicuntur *ὁμοεῖδη*, ut Plato  
& Socrates, quia sunt individua ejusdem speciei. Sic etiam *Buce-*  
*phalus* & hic & iste equus sunt Idem specie. Consentit iterum *Dama-*  
*scenus* ita definiens: *Ὁμοεῖδη εἰσὶν, ὅσα ὑπὸ αὐτὰ εἶδη τάσσονται*  
*καὶ κοινωνῶσι τῷ λόγῳ τῆς ἰδέας, Eadem specie sunt, quæ ordinantur*  
*sub una specie specifica, & communicant ejusdem Definitione.*

§. 16. Eadem Universalia *Analogia* sunt, quæ conve-  
niunt in uno vel *attributione*, vel faltem *similitudine*.

*Aristoteles 5. Metaph. 10.* non definit Eadem *Analogia*, sed mentionem  
faltem eorum facit. Habet autem hic locum utraqve Analogia,  
attributionis non tantum, sed etiam proportionis v. g. nec tantum  
substantia & Accidens propter participationem ab ente, licet gra-  
du longè dispari, dicuntur Eadem; sed & homo pictus & vivus,  
propter similitudinem, quam inter se habent. Referri possent  
Eadem *Analogia* ad Eadem genere. Plura infra.

§. 17. Scholastici numericæ Identitati aliàs contradi-  
stingvunt Identitatem *formalem*. For.



*Formalem* dicunt esse eorum, quæ tantum evolutione definitionis differunt, aliàs per omnia eadem. Ita Eadem dicuntur definitum & definitio, ut homo & animal rationale. *Arist. 1. Top. c. 7.* vocat τὸ ὄρω ἑαυτὸν. Vocatur & λόγῳ ἑαυτὸν. Non dissimulamus, quòd *Arist. 7. Top. c. 1.* docet etiam δριθμῶ ἔν, *Numero Idem* definitum & definitionem, sed *5. Metaph. c. 6.* accuratiùs hæc discernens, discrimen ostendit inter Definitione & Numero Idem.

*Apor. VI.*

## Identitas est *realis vel essentialis,* *vel suppositalis.*

§. 18.

*Realis* est eorum, quorum unum non potest esse sine altero absque contradictione, nisi fortè causa externa accedat, nec unum respectu alterius sit originans, & alterum (ut barbarè loquuntur) originatum, nec sint in pluribus rebus realiter distinctis.

Descriptio est *Scharffii* in *Theor. Transc. disp. 14. §. 20. p. 806.* Notandæ autem sunt notæ, ne simpliciter ubique statuatur identitas realis, ubi unum nequit esse sine altero. *Goclenius* in *Lexico V. Identitas* pag. 212. Realem definit, quia unum ens cum alio, respectu alicujus tertii realiter, verè vel tanquam idem est. Ei opponit Identitatem rationis, quia unum ens cum alio ratione est idem i. e. secundum mentis conceptum, qualis est Eiusdem ad seipsum, ubi intellectus Eodem, ut duobus, utitur v. g. Hic homo est sibi ipsi Amicus.

§. 19. Identitas *essentialis* est, quâ plura identificantur uni esse singulari seu in uno tertio essentiali.

Fit 1) quando plures modi identificantur in essentia purissima, ita tamen ut inter se differant v. g. Unitas, veritas, bonitas sunt Idem in essentia rei. Huc referri possunt tres Personæ Trinitatis, quæ omninò essentialiter sunt unum, sunt una Numero Essentia divina & hæc una Numero essentia divina sunt tres personæ. Possis vocare Identitatem nunc singularem atque extraordinariam. Fit 2) &

B-3

latius



latius quidem priori modo: *Cum quaedam ad essentiam compositi constituendam concurrunt* v. g. Animal & rationale sunt Idem essentialiter, quia sunt de essentia hominis; materia & forma, quia sunt de essentia corporis. Essentialem hanc faciunt triplicem: *Genericam, Specificam & Numericam*, quas subdistingvere possis in *extremam & mediam*; *extremam* in *minimam*, quæ Analogica est, & *maximam*, quæ Numerica; *media* est vel *Generica*, vel *specificam*, ut supra.

§. 20. *Identitas suppositalis* est, quæ quaedam conveniunt in uno supposito sive in una Persona, ita ut constituent unum ὁμοιόμενον.

Dico in uno supposito; sic in ferro ignito suppositaliter unum idemque sunt ignis & ferrum, sic sal commistum aqua facit unum suppositum cum aqua. Sic aurum & poculum in deaurato poculo, in quo suppositaliter sunt unum & idem. Dicebam: in una Persona, talis identitas intercedit inter naturas Christi, cum, scriptura teste, Natura Divina & humana constituent unam Personam compositam. Dixeris identitatem Hypostaticam. Theologis dicitur ἔνωσις ὑποστατική, Unio hypostatica, cui exemplum simile non extat in tota rerum universitate. Quæ sic conveniunt, vocantur à Damasceno c. 48. *Dial. ὁμοιοπόσεια*, sicut, quæ essentialiter conveniunt, Personæ Trinitatis, vocantur ὁμοῦσοι. Vide Theologos.

Aphor. VII.

## Identitas vel est *causalis*, vel *effectiva*.

§. 21.

**I**dentitas *Causalis* est, quæ quaedam conveniunt in una eademque causâ sive *remotâ* sive *proximâ*, vel simul in pluribus. Ubi quaedam sunt & dicuntur Eadem in causis *externis a)*, quaedam in *internis b)*.

a) *Causæ Externæ* sunt *Efficiens & Finis*. Quaedam ergo sunt Eadem in *Efficiente*, ut fratres germani identitatem habent ratione parentum, duo automata respectu ejusdem automatarum, risibilitas & doc-

doci.



docilitas ratione animæ rationalis. Sic 1. Cor. 12, 4. docet Apostolus, distinctiones quidem esse donorum, sed omnia convenire in uno efficiente. Sunt, inquit, distinctiones operationum v. 6. sed est idem Deus efficiens ea omnia in omnibus. Quædam sunt Eadem *in Fine*, ut plures studiosi quoad cognitionem Philosophiæ, Theologiæ, duo competitores respectu ejusdem officii tanquam Finis. Sic arma omnia in exercitu conveniunt in Fine victoriæ. Omnia ingredientia unius remedii in Fine sanitatis. Sic Paulus 1. Cor. 10. 31. ait, omnes actiones nostras in uno Fine gloriæ divinæ debere convenire. Et 1. Cor. 12. 7. dicit: unicuique datur declaratio spiritus ad utilitatem, quam latius explicat *Ephes. 4.* b) Causæ *internæ* sunt Materia & Forma. Sic homo & brutum, itemque plantæ & metalla conveniunt inter se materiâ & formâ remotis, nimirum Elementis & Naturâ, quæ formam substantialem, præter materiam generaliter, in illis omnibus designat.

§. 22. Cumque materia sit triplex, *ex qua, in qua & circa quam*, nova iterum, ejus respectu, exoritur Identitatis divisio, inter Identitatem materialem in *specie dictam a)*, *Objectivam b)* & *subjectivam c)*.

a) Identitas *materialis in specie dicta*, cum quædam Eadem dicuntur in materia ex qua sive primâ sive secundâ, permanente vel transeunte, transeunte ex toto vel ex parte. b) Identitas *materialis Objectiva* est inter ea, quæ circa idem Objectum occupantur, ut duo Præceptores, occupati circa eosdem Auditores, aut aliquot Medici circa eundem ægrotum. c) Identitas *subjectiva* est, quæ duo vel plura Accidentia Idem esse dicuntur subjecto, ut albedo, dulcedo, rotunditas sunt idem in uno pomo; albedo, superficies, quantitas sunt Idem in eodem pariete; Intellectus, voluntas, vis consultandi, discurrendi sunt unum Idemque in animâ rationali.

§. 23. Identitas *effectiva* est, quæ conveniunt aliqua in eodem effectu producendo. Quæ hanc habent, Eadem *ἐνεργεία καὶ ποιήσεις* dicuntur.

Hanc identitatem habent pater & mater respectu Filii, multi Architecti resp. domûs; Stellæ & luminaria cœlestia resp. corporum inferiorum sublunarium, in quæ agunt motu, lumine atque influentiâ.

Huc



Huc pertinent causæ sociæ v. g. duo pluresve eqvi unum trahentes currum ; milites ejusdem exercitûs respectu communis victoriæ vel prædæ. Huc non pertinent, tanquam causæ sociæ, tres personæ S. S. Trinitatis, uti quidem Goclenius olim statuit. Non enim sunt causæ sociæ creati mundi, quia non sunt causæ partiales.

*Aphorif. VIII.*

## Identitas vel est *Essentialis* vel *Accidentalis*.

§. 24.

*Essentialem* Identitatem vide definitam & explicatam §. 19.

§. 25. *Accidentalis* Identitas est, cum plura conveniunt in eodem Accidente.

Intelligendum hic est Accidens non tam prædicabile quam prædicamentale, quæ quomodo differant, vide in Logicis. Sic Metaphysica & in intellectu est, & in anima : in intellectu quidem tanquam in subjecto *quo* ; in anima verò tanquam in subjecto *quod*. Ergo intellectus & Anima sunt Idem Identitate Accidentali.

§. 26. *Accidentalis* Identitas dividitur 1) in Accidentalem Accidentium *communium a)*, & Accidentalem Accidentium *propriorum b)*.

a) *Communibus* Accidentibus convenire possunt Subjecta, etiam sibi in rectâ lineâ non subordinata, ut æthiops & corvus, qui nigredine Idem sunt. b) Accidentibus verò *propriis* nullâ ratione convenire possunt, nisi ea, quæ rectâ lineâ subordinantur, aut sub unâ specie infimâ collocantur. Sic animal & homo conveniunt sensu, quia realiter sunt Idem & directè subordinata.

§. 27. Dividitur *Accidentalis* Identitas 2) in *primariam a)*, & *secundariam b)*.

a) *Primaria* est eorum, quæ primariis & propriè dictis Accidentibus conveniunt, qualia sunt : Quantitas, Qualitas, Actio, Passio. Suntque vel Similia vel Æqualia, de quibus in sequentibus. b) *Secundaria* est eorum, quæ relationibus conveniunt v. g. duo Patres dicuntur



cuntur esse Idem, aut duo Præceptores, duo filii. Referas huc omnem conjunctionem & convenientiam officiorum, dignitatum, honorum, vicinitatis, Confanguinitatis, cognationis, affinitatis v.g. Collegas, foceros &c.

§. 28. Accidentalibus 3) dividitur in quatuor genera, quæ ex parte in superioribus adfuerunt, sed alio oppositionis modo.

1) Cum subiectum aliquod recipit Accidentia sibi contingenter inherencia, tunc Subiectum, & Accidens istud Idem dicuntur per accidens, & τὸ ὑποκειμένω Subiecto. 2) Cum duo ejusdem speciei Accidentia diversis Subiectis insunt, tunc duo hæc subiecta Idem sunt τῷ συμβεβηκότι Accidente, ut creta & nix Idem sunt albedine. 3) Cum idem subiectum temporis progressu, & per vices plura continet accidentia vel privationes, tunc accidentia isthæc similiter sunt Idem τῷ ὑποκειμένω, subiecto, ut privatio & quantitas in materia, gravitas & durities lapidis. 4) Cum ea, quæ aliàs inter se differunt, certâ proportione, vel similitudine conveniunt, & dicuntur τὰ ὑὸ ἀναλογία Idem analogiâ seu proportione. Ut princeps & caput, in superioritate & præminencia ἀναλόγως conveniunt. vid. §. 16.

Aphor. IX.

## Identitas alia est *Interna*, alia *Externa*.

§. 29.

*Internam* a) dixeris, quâ quædam interno quodam modo conveniunt; *Externam*, cum res terminis extrinsecis b) conveniunt.

a) Ad *Internam* refer genericam, specificam &c. de quibus in superioribus est dictum. b) Dixi, terminis extrinsecis v.g. loco, ut Idem dici possunt duo contubernales; vel tempore, ut duo σύγχρονοι, Aristoteles & Alexander Magnus; vel Circumstantiis aliis. Atque hæc hætenus dicta sufficiant de Eodem seu Identitate, sequuntur nunc, duce Philosopho 10. *Metaph. c. 5.* Cognata.

C

Aphor.



# Cognata Ejusdem sunt partim Similia, partim Æqualia.

§. 30.

**C**Ognata vocat Philosophus. Ut enim se habet Idem ad Substantiam: sic Simile se habet ad Qualitatem; Æquale ad Quantitatem. *Aristoteles* 5. *Metaph. c. 9.* recenset quatuor Similium genera 1. Quæ idem passa a). 2. Pluribus iisdem affecta b). 3. Quorum Qualitas est una c). 4. Quæ plura ex contrariis habent d).

a) Verba *Aristotelis* sunt: *Τὰ τε ταυτὸ πεπονθότα* Et quæ idem accipiunt seu quæ idem passa sunt, ut habet *Sthalius Tab. XX. Metaph. ex Fonseca* ad h. l. quod ferè accidit secundum qualitates, ut qui ex ægritudine pallorem ac ruborem contraxerunt; duo febricitantes, qui unum patiuntur morbum. b) *Τὰ πλείω ταυτὰ πεπονθότα, ἢ ἕτερα, quæ pluribus eisdem, quàm diversis affecta sunt.* Hoc 10. *Metaph. c. 5.* effert ita: *τὰ ἢ ἂν πλείω ἔχη ταυτὰ ἢ ἕτερα* sed & illa, quæ plura habent eadem quàm diversa, idque ἢ ἀπλῶς, ut duo fratres gemelli, qui vix internoscantur, ἢ τὰ πρῶχειρα, aut quæ in promptu sunt, vel ut *Sthalius*: quæ magis conspicua, in discursu *Sthaliano*: quantum ad ea, quæ magis in sensus incurrunt: οἷον κατρίτερος δρυῖος, ἢ χρυσῶ. χρυσὸς ἢ πυρὶ, ἢ εἰανθὸν καὶ πυρρόν, ut stannum argento, & aurum igne, quæ ratione flavus ac rufus est. Nam stannum & argentum plura simpliciter habent communia quàm propria; sunt enim ambo mista metalla, ejusdem coloris &c. cum in paucioribus distingvantur, quia propinquæ sunt naturæ. Aurum verò & ignis, etsi simpliciter non in pluribus conveniunt, quàm differunt (sunt enim diversæ admodum naturæ) tamen si visibiles qualitates spectentur, ut flavus color & rubeus, saltem similia sunt inter se quàm fit aurum argento, cui affinis naturæ est. *Fonseca* ad 10. *Metaph. 5. p. 27.* c) ὧν ἡ ποιότης μία, quorum Qualitas est una, sive eam, annotante *Fonseca* ad h. l. per veram actionem acceperint, ut quæ data sunt; sive absq; actione, ut astra nativi splendoris. *B. Sthal. Tab. XX.* ita: Quorum una est quali-

quali-



qualitas, non tamen in eodem gradu, ut duo alba, quorum unum magis, alterum minus album. Sic etiã ignis & aqua calidissima sunt sibi similes, quia habent eandem qualitatem, nempe calorem. Sed quia ignis habet calorem excellentiorem, quã aqua, ideo non in eodem gradu sunt similes. Intelligitur eadem specie specialissima qualitas, non genere, ut addit Philosophus 10. Met. 5. *Εάν η τὸ αὐτὸ πάθος, καὶ ἐν τῷ εἶδει, si eadem sit passio atq; una specie.* Hinc Cygnus & corvus non sunt similes, habent quidem eandem qualitatem in genere, nempe colorem, non tamen eandem in specie, quia cygnus est albus, corvus vero est niger. d) *καθ' ὅσα ἄλλοις ἔχει ἐνδέχεται ἢ ἐναντίων τῶν πλείω ἔχον, ἢ κυριώτερον ὁμοίον τῶν*, *Quod plura aut potiora ex iis contrariis habet, quibus fit alteratio, huic simile dicitur* v. g. duo vina habentia eundem colorem, odorem & saporem. Quo genere non dicuntur Similia, quæ eundem tantum colorem habuerint, cum color in minus præcipuis affectionibus vini habeatur. *Sthalius dictâ Tab. XX.* quartum genus similibum hoc facit: quorum una est Qualitas in eodem gradu, ut duo æqualiter alba. Sic duo ignes qui habent eandem qualitatem, calorem, etiam in eodem gradu. Petiit ex 10. *Metaph. cap. 5.* ubi Philosophus dicit: *Εάν τὸ αὐτὸ εἶδος ἔχοντα, ἐν οἷς τὸ μᾶλλον καὶ ἢ τὸ ἥττον ἐγγίνεται, μήτε μᾶλλον ἢ, μήτε ἢ τὸν, si, cum eandem formam habeant, quæ in eo magis & minus fiat, nec magis nec minus sint.*

§. 31. Ut de Similibus accuratiùs constet, ejus Abstractionem penitiùs expendemus, quod est Similitudo. Est autem Similitudo convenientia præcipuè in qualitate, deinceps in Actione, Passione & Relatione. Distingvimus eam

1) a) in absolutam b) & parabolicam c).

a) Fundamentum distinctionis petitur inde, quia non omnia conveniunt in qualitate. *Seneca epist. 40. parabolicam* instituit inter homines viventes in hoc mundo & inquilinos ædium alienarum: Ut qui, inquit, sese meminerunt inquilinos esse & in conducto habitare, & modestiùs se gerunt & minus gravatim exeunt; ita qui intelligunt domicilium corporis ad breve tempus à natura accommodatum esse, & vivunt temperantiùs, & libentius moriuntur.

C 2

b) Abso-



b) *Absoluta* erit convenientia rerum in Qualitate, Actione & Passione absolute spectatis, sic æthiops & corvus dicuntur similes propter absolutam qualitatem, nigredinem; ovum ovo propter absolutam qualitatem, colorem & figuram. c) Similitudo *parabolica* est, cum res non præcisè ob qualitatem, sed aliam rationem conveniunt. Placuit parabolicam addere, licet *Aristot.* in *cap. citatis* non habeat, quia sæpè occurrit, quâque sæpenumero Dominus & Salvator noster JESUS CHRISTUS usus est. Vide *Matthæum* & *Lucam*, qui conciones parabolicas ejus longâ serie descripserunt. Videtur autem CHRISTUS non usurpâsse propterea tantum, quod apud Orientales consvetissimum fuit docendi & declarandi genus per parabolas, ut patet ex Historia Jobi, Salomonis Prophetarumque; sed quod etiam cupiebat similitudine rerum, in sensus incurrentium, cœlestia mysteria populo nota & perspicua reddere.

§. 32. Distingvimus Similitudinem 2) in *simplicem a)* & *compositam b)*: illa versari dicitur inter duos terminos; hæc inter quatuor.

a) Quando e. g. ingenium agile ac subtile igni comparatur. b) Quatuor termini sunt: Gubernator, navis, Magistratus, Resp. Ut se habet primus ad secundum: ita tertius ad quartum; inde conficitur sequens similitudo composita: Sicut se habet gubernator ad navem in tempestate: ita Magistratus ad Remp. in bello. Vide *Arist.* 1. *Top. c. 17.* per totum, deque usu ejus *cap. seq. 18. §. 10-14.*

§. 33. Sunt etiam de Similitudine nonnulla principia cognoscendi seu Canones observandi. 1) Accommodata est similitudo ad docendum populariter a). 2) Simile est etiam dissimile b). 3) Inter res nimium distitas, obscuras atque ineptas similitudo non instituatur c). 4) Ultra scopum ne extendatur similitudo d).

a) Solent Docti distingvere inter genus docendi *exotericum* & *acromaticum*: non ad hoc adhibeatur similitudo, monente Philosopho *6. Eth. c. 3. δὲ ἀκριβολογεῖσθαι καὶ μὴ ἀκολοθεῖν τῶν ὁμοιοτήτων,* Oportet accuratè docere & non consectari similitudines; sed ad illud. Necessè enim est, tantò faciliùs nos discere, quanto faciliùs est id, unde discendi principia ducuntur. In similitudine autem sunt  
sensua-



sensualia, sicut CHRISTUS ex vinea, agro, patribus familias, nu-  
 ptiis aliisque rebus notissimis doctrinam suam declarabat. An-  
 gustia chartæ heic non capit similitudinis encomia, quæ possent  
 conglomerari. Id saltem monendum, sumantur similitudines aptæ:  
 si docere velimus, aperta sit similitudo; si laudare, splendida; si vi-  
 tuperare, pudenda. *b)* Bonus Princeps non differt à bono patre-  
 familias, ait *Xenophon*. Differunt sanè, quia princeps est caput  
 status Politici; Paterfamilias verò Oeconomici. Non differunt, si  
 ita: Patrisfamilias est cura, ut filios commendet piis, & doctis præ-  
 ceptoribus. E. & Magistratus cura erit, ut subditi pios Pastores ha-  
 beant. *c)* Talis inter res diffitas similitudo est inter plagas Ægy-  
 ptiacas & decem præcepta, Vide *Augustin. Tom. IX. Sic Psal. 8, 7.* di-  
 citur, omnia subiecisti sub pedes ejus, oves & boves universos, in-  
 super & pecora campi, volucres cœli & pisces maris. Unde Papi-  
 stæ inferunt: Homines, in hoc seculo viventes, sunt sicut pecora  
 campi: animæ in purgatorio sunt sicut volucres cœli. E. Papæ data  
 est potestas in homines mundanos, animas purgatorii & beatos in  
 cœlo, ut possit eos canonizare. *d)* Nihil periculosius est, inquit  
*Erasmus Sarcerius*, quàm ludere similitudinibus, præsertim in asser-  
 tionibus dogmatum fidei. Non ergò sit latior nec angustior. Obser-  
 vandum hoc ut alibi, ita in parabolis CHRISTI, quando adven-  
 tum suum declarat similitudine furis, clam nocte insidiantis. Item  
 cum peccata nostra comparat debitis servi debitoris, & electionem  
 ac vocationem cum conductione mercenariorum in vineam, in  
 qua posteriore parabola, quæ extat *Matth. 20.* regulam nimis post-  
 habent Papistæ, *Bellarmin. lib. 3. de justif. cap. 16. & lib. 5. cap. 3. & Mal-*  
*donatus ad locum illum*; qui inde, quod ibi mentio fit mercedis, &  
 justæ solutionis, itemque operariorum, conantur extruere propor-  
 tionalia merita bonorum operum, cum tamen ista dicantur inci-  
 denter & extra scopum parabolæ. Vide Dnn. Theologos.

§. 34. Satis de priore Cognato, de Similibus; nunc  
 de altero, de Æqualibus. Sunt autem *Æqualia*, quorum u-  
 na est quantitas.

Duæ lineæ ulnam unam longæ, duo ejusdem staturæ homines. Uti  
 autem quantitas est vel continua vel discreta: ita surgit inde distin-  
 ctio inter Æqualia quantitate continuâ & Æqualia quantitate dis-



a) *Idem* opponuntur apud *Arist. 5. Metaph. c. 9.* ὅλως ἀντικειμένως τὸ αὐτῷ λέγει τὸ ἕτερον, omninò *Diversum* opposito modo atq; *Idem* dicitur. Sunt ὅρ adeò sic omnia *Diverfa*, quæ non sunt *Idem*. b) *Diverfa* opponuntur *Differentibus* 10. *Metaph. c. 5.* verbis illis: Διαφορὰ ἢ καὶ ἕτερότης, *Differentia* verò aliud est, aliud *diversitas*. Ut hoc intelligatur, præmittenda est distinctio inter vocem *Diversitatis* sumtam *Generaliter* & *Specialiter*: *Generaliter* & latè notat disconvenientiam simpliciter, qualiscunq; sit, essentialis an accidentalis; *Specialiter* & strictè signat *diversitatem* essentialem. Cùm igitur dicit *Philosophus*: *Differentia* aliud est, aliud *Diversitas*, tum vox *Diversitatis* non est sumenda latè, sed strictè. Latè enim si sumitur, complectitur quoq; *Differentia*, ut colligere possis ex 5. *Metaph. c. 9.* ex illis verbis: Διαφορὰ ἢ λέγει, ὅσα ἕτερα ἔστι, *Differentia* verò dicitur quæcunq; *Diverfa* sunt. Ubi annotat *Fonseca*, cùm omnia, inquit, *Differentia* sint *Diverfa*, non autem omnia *Diverfa* *Differentia*, nisi impropriissimè sumto *Differentiarum* vocabulo. *Differentia* definiuntur à *Sthalio Tab. XX.* quæ cùm convenient in aliquo univoco, sub eo per aliquod distinguuntur, ut duæ species convenient in genere & distinguuntur per *differentiam* specificam. Quamquam, addit *B. Sthalius*, hoc ipsum nomen *Differentia* vel res *differentes*, interdum latiùs accipiatur. Unde juxta *Scheibl. lib. 1. Metaphys. c. 8. §. 11.* æquipollenter dicuntur: *Differens*, *Diversum* & *Distinctum*, licet τὸ *Distinctum* aliquo modo à *Diverfo* distinguatur, sic, ut *Distinctio* solum neget *realem* identitatem eamq; essentialem, *Diversitas* autem neget convenientiam quamvis, veluti una imago dicitur esse *distincta* ab altera, quia non est eadem, quæ ista, etiamsi sit similis. At cùm *Diverfa* dicuntur, non solum signatur essentialis *Diversitas*, sed etiam *Dissimilitudo*, quæ scil. non sit huic similis, vel æquè perfecta ac ista. Vid. *Sparezium in Metaphys. Dissp. 7. sect. 3. n. 6.* Quicquid tamen ejus sit, sæpe æquipollenter dicuntur, sicut *Logica* & *Dialectica*, licet aliàs differant, strictè igitur *Diverfa* dicuntur, quæ in univoco conceptu non convenient, ut decem prædicamenta, creator & creatura.

Apbo.



# Diversitas est vel *Realis* vel *Ra-* *tionis.*

§. 39.

**D**iversitas *realis* est eorum, quæ citra operationem intel-  
lectus differunt.

*Armandus de Bello Visu*, ita: Realiter diversa sunt, quorum unum-  
quodque est vera res v. g. Quantitas & Substantia, Lapis & Asinus.  
Vel, Realiter diversa sunt, quæ reipsa differunt, ut tamen in eo-  
dem subjecto esse possint v. g. deformitas & facundia in Ulyssæ, Divi-  
nitas & Humanitas in Persona Christi. Realiter differunt  $\alpha$ ) quæ  
ponuntur in diversis prædicamentis realiter distinctis.  $\beta$ ) Quæ  
sub diversis generibus ac speciebus sunt, ut homo & herba.  $\gamma$ )  
Omnes substantiæ & Individua separata, Plato, Socrates.  $\delta$ ) Acci-  
dentia in uno Subjecto.  $\epsilon$ ) Quæ separari possunt, sive separa-  
tione mutua sive non mutua, sive Ordinaria, sive Extraordinaria.  
 $\zeta$ ) opposita.

§. 40. Diversitas *rationis* est eorum, quæ citra opera-  
tionem intellectus non distinguuntur.

Diversitas rationis est 1) rationis *ratiocinatae*, quando ratio nostra oc-  
casionem & ansam distinguendi à rebus accipit v. g. quando aliæ  
hominum actiones ipsi soli competunt, ut loqui, ridere, aliæ etiam  
brutis cum eo communes sunt, ut ambulare, audire, videre, ratio  
nostra inde ansam sumit & fundamentum, ut distingvat inter esse  
hominis & animalis, cum tamen una eademque sit essentia & nulla  
multitudo. Sic in Sole vis calefactiva, exiccativa & indurativa.  
Hæc dicuntur eminenter diversa, in subjecto idem sunt, in effectis  
differunt. Hoc modo diversa sunt Attributa DEI. Diversitas  
rationis est 2) rationis *ratiocinantis*, quando ratio tali occasione  
destituatur. Vocatur ratio *pura*, ut Dextrum & Sinistrum in co-  
lumna. Sic quando in hac propositione identica: Homo est ho-  
mo, distinctio fit inter hominem & hominem, quia mox ut subje-  
ctum, mox ut Prædicatum propositionis consideratur, nullam ex  
re mens nostra accipit ansam.

D

Apho-



# Diverfa sunt vel *Singularia* vel *Universalia*.

## §. 41.

## Diverfa *Singularia* sunt Diverfa Individuatione.

Huc ergò referuntur 1) duo vel plura Individua *unius speciei* infimæ, ut Aristoteles & Plato. 2) duo vel plura Individua substantialia, *diversarum specierum*, ut Alexander & Bucephalus, qui tamen non tantum numero, sed etiam specie differunt. 3) duo vel plura Individua, quorum alterum est *substantia*, alterum *accidens*, ut hic homo Grammaticus & hæc Grammatica. 4) duo vel plura *Accidentia individualia vel ejusdem vel diversæ speciei*, ut hæc Qualitas, hæc Quantitas. Item hæc & hæc Logica. Dicuntur autem unitatem & numerationem accidentia recipere à subjectis, secundum regulam *Boëthii*: Unitas accidentis ex unitate substantiæ; non quasi in unâ Substantiâ non possint esse plura numero distincta accidentia simpliciter & absolutè; sed quod non possint esse duo vel plura distincta accidentia ejusdem speciei, & quod necessariò propter generalem scil. accidentis à substantia dependentiam individuale accidens requirat individualem substantiam.

## §. 42. Diverfa *Universalia* sunt, quæ vel *Genere a)* vel *Specie b)* sunt Diverfa.

a) Diverfa *genere* sunt 1) genere *generalissimo*, ut homo & virtus, ille enim est in Prædicamento Substantiæ; hæc in Prædic. Qualitatis. *Arist. lib. Categ. c. 3. §. 2.* vocat ἐτερογενῆ καὶ μὴ ἰσάλληλα τεταγμένα traditq; de his canonem, quod talium sint Differentiæ diversæ, ut animalis & scientiæ. 2) genere *subalterno*, ut homo & arbor. Sunt alii, qui Diverfa Genere ita tradunt: Diverfa *Genere* sunt a) *Diversorum Generum Individua*; ut Cato & Rhenus. β) *Species subjectæ diversis Generibus*, ut homo & scientia. γ) *Ipsa summa genera*, ut substantia, Quantitas. b) Diverfa *specie* sunt 1) *diversæ species*, quæ constantes uno genere per essentielles differentias separantur, ut homo & brutum, atq; adeò omnes brutorum species



species, ut homo & leo, & canis. 2) *Diversarum Specierum Individua*, ut Petrus & Bucephalus.

*Aphor. XIV.*

## Diversitas vel est *Causalis* vel *Effectiva*.

§. 43.

Diversitas *Causalis* est eorum, quæ Causâ differunt.

Diversa 1) *efficiente*, ut vestis & pileus. 2) *Materia* vel *ex qua proximâ* ut homo & brutum; vel *in qua* ut risus & hinnitus, loqui & balare; vel *circa quam* ut charta & corium, 3) *Formâ*, ut homo & brutum. 4) *Fine*, ut risus & fletus.

§. 44. Diversitas *effectiva* est inter causas diversorum effectuum.

Sic Sartor & Sutor differunt.

*Aphor. XV.*

## Diversitas est vel *essentialis*, vel *accidentalis*.

§. 45.

Diversitas *essentialis* est, quâ unum differt ab altero, vel totâ a) *essentiâ*, vel parte b) *essentiæ*. Estque *essentialis* hæc vel *subordinata* c) vel *coordinata* d).

a) Totâ *essentiâ*, ut genera diversa v. g. planta & elementum, linea & numerus, scientia & virtus. b) ut species, v. g. homo & brutum, aurum & argentum, humilitas & liberalitas. c) *Subordinata*, quando diversa in scalâ prædicamentali differunt secundum lineam descendentem. d) *Coordinata*, quando diversa in scala juxta se ad latus ponuntur.

D 2

*Aphor.*



## Diversitas est vel *Distinctio* vel *Oppositionis*.

§. 46.

**D**iversitas *distinctio* est inter pugnancia pugnâ debili. Quidam vocant diversitatem sine pugnâ. Parit enim distinctio-  
nem tantum. Quæ sic diversa sunt, distincta solent vocari.

§. 47. Diversitas *oppositionis* est inter pugnancia pu-  
gnâ forti.

Hanc diversitatem vocant cum pugnâ. Quæ sic diversa sunt, dicun-  
tur opposita, de quibus, sicut & de distinctis heic dicere non volu-  
mus.

Aphor. XVII.

## Cognata Diversorum sunt partim *Dif-* *similia*, partim *Imparia*.

§. 48.

**D**issimilia sunt, quæ disconveniunt in *Qualitate* vel *Actio-*  
*ne* vel *Passione* vel *Relatione*.

Vide §. 31. Sicut illic Similitudo distinguebatur in *absolutam* & *parabo-*  
*licam*: eodem modo distingvi potest Dissimilitudo. Pertinet huc  
*διαφορὰ* seu distinctio *ἀναλογίας*, cujus *Aristoteles* meminit *Met.*  
*cap. 9*. Est enim nihil aliud, quàm Dissimilitudo parabolica & in-  
convenientia proportionis. Vide §. 41.

§. 49. *Imparia* dixeris, quæ majori vel minori quan-  
titate differunt.

Seu *Imparia* sunt, quorum alterum est majus, alterum minus. Ubi  
per majus intelligitur, quod alterum excedit quoquo modo. Sic  
Paulus *Rom. 8*. conferens inter se præsentem calamitatem & fu-  
turam gloriam, concludit esse *imparia*, & hanc longè excedere il-  
lam. Sic *1. Cor. 3*. *imparia* dicit esse fidem & charitatem & hanc  
illam superare. Et *Matth. 6*. Salvator corpus comparans cum  
vestitu, hunc dicit esse longè minorem seu viliozem.

Aphor.



Plura, quæ dici possent, ex superioribus facile cognoscuntur.

§. 50.

PLures possent addi & quæstiones a) & Distinctiones b) & Axiomata c), quæque dicta latius diduci possent; sed cum nobis jam non liceat esse prolixioribus, in certam spem erigimur fore, ut L. B. Catone hoc sit contentus, ut rem non ubique acu fortassis tetigerimus. Quis enim Polydamas ad hunc Hectorem? Quis aut qualis Tiresias ad hunc solem seu cælum? Ut ad illud cœcutimus: ita ad hanc materiam nostræ mentis acies.

a) Quæstiones illæ, in procæmio tactæ, latius diduci possent. Item, An Idem sit res & sua quidditas *Fonsæca T. 3. p. 231.* An quicquid est, sit Idem cum eo, cuius est *pag. 237.* b) Latius afferri possent Distinctiones inter Identitatem *rei & rationis*, & hujus vel rationis *ratiocinantis vel ratiocinatae.* Sic & Diversitas. Quod Diversitas rationis ratiocinatae sit vel *Virtualis vel Formalis vel modalis*, & aliæ, nam Diversitas Entium tot modis dicitur, quot Identitatis, nisi quod Entia multa habeant præterea Diversitatem Numericam, cui non potest in multis Entibus opponi Identitas Numerica, ut habet *Exc. Thomasius Metaphys. p. 48. §. 18.* c) Axiomata 1) *vera*: Quæcunque sunt Eadem in uno tertio, sunt Eadem inter se. Quorum unum potest esse sub altero, ea non sunt simpliciter Idem. Simile & Æquale non est Idem. Identitas Numerica datur in conceptibus vel vocabulis multis, non verò in Entibus multis. 2) *Falsa Calvinianorum*: Quicquid unius rei sive naturæ proprium est, alteri realiter diversæ communicari non potest, vide *Seldii Top. Calvin. pag. 864. seqq.* *Falsa Photinianorum*: Quicquid est, ab eo nequit distingvi &c. *Kesleri Metaphys. Photin. part. Generali pag. 96.* Quæ Eadem sunt, illorum est eadem definitio *pag. 114.* Quæ realiter distingvuntur, ejusdem essentia singularis esse nequeunt *pag. 124.* Quæ separari à se invicem possunt, realiter distingvuntur *pag. 139.* Quæ numero non

D 3

diffe-



differunt, illa Eadem sunt pag. 154. Quorum essentia seu Definitio nequit esse eadem, magis numero distinguuntur, quam quorum est eadem pag. 167. Quæ realiter Idem sunt, eorum rem multiplicante, vel multiplicato, vel communicato uno, rem multiplicat, vel multiplicatur vel communicatur & alterum pag. 181. Personæ alicujus virtus aut operatio distincta ab illa, nequit esse persona. Kesleri *Metaphys. Photin. part. spec. pag. 174.* Nemo sibi ipsi est æqualis, & Æquale non est Idem.

## SOLIDEO GLORIA!



## COROLLARIA.

- I. Non Substantiæ, sed Quantitatis formale est extensio.
- II. Contraria maximè distant.
- III. Prædicatio: DEUS est homo, non est Accidentalisis.
- IV. Finis est Causa.
- V. DEUS est ens simplicissimum.
- VI. Ignis fatuus est naturalis.
- VII. Iris fuit ante diluvium.
- VIII. Metalla sunt inanimata.
- IX. Voluntas cogi nequit.
- X. Una virtus moralis non est de essentiâ alterius.
- XI. Homo est animal naturâ civile.
- XII. Cives rectè dividuntur in imperantes & parentes.



Ad



*Ad Humaniss. Dn. Respond.*

**D**iverso Tu jungis Idem: Sed jungere luci  
Qvis tenebras, aut quis Gryphibus aufit eqvos?  
Laudo tamen factum; nam Tu disjungis & unis  
Hic simul, atque Idem sic benè tradis idem.

L. Valent. Alberti, P.P.

---

**A**udaces Fortunâ juvat, satis ardua res est,  
Quam tentas, KUHN! quî tibi perplacuit?  
*Diversis Diversa* placent, sua cuique voluntas  
Libera, non *idem* est, qui minus edit *idem*.  
Euge! non poteris melius conarier, opto  
Fibritus, ad votum prospera cuncta cadant.

*gratulab. fecit.*

P R Æ S E S.

---

**M**artio labentè poenè *Roma* fulgidissimâ  
Publicas *Deum Parentis* affolebat exequi  
Ferias, easque rursus exequi domesticas.  
Publicas sic Christianus nuper hasce ferias  
Orbis, in Concepto JESU publicè executus est:  
Hoc die domesticas sic Mensa nostra ferias  
Exequetur, cum Tuisque duplicatâ gaudia  
*Care*, dum conscendis (euge!) pulpitem palæstricum  
Atque sistis expeditus disputata *Academica*.  
Macte *Noster*, pulcrioris macte mentis indole!  
Pergito quâ *Te* videmus semitâ decurrere!  
Pergito grassari ad alta *Gloriæ Fastigia*.

*Hilaria.*  
*Hilarii.*

Perge



Perge *Patriam* benignam gaudio perfundere!  
Sic *Tuosq; Consalinos* gaudio perfunderis!

*ita*

*prolixiore* } *affectu quam tempore* }  
                  } *voto quam verbo* }

*Perexim. DN. RESPONDENTEM*  
*prosequimur*

COMMENSALES SCHMIDIANI.

---

**I**Nclita qui celeri superaverat Isthmia cursu,  
Ornabat viridi Græcia fronde Virum.

Major erat tenui Victoris Gloria pinu;  
Pomis & lauro Gloria major erat.

Nobilia sacrae celebrant certamina Musæ,  
Virtus Aonio præsidet alma Choro:

Præsidet & cupidis petitur ceu Meta sagittis,  
Aurea Victores Ipsa Corona manet.

Sed latet in mediis validæ penetralibus Arcis:  
Excubat occlusas Cerberus ante fores.

Quem qui pervigili Curâ, qui conficit Arte,  
Præmia solliciti digna laboris habet.

Dulcis AMICE, Tuam rapiunt hæc Munera Mentem,  
Foetet Oliva Tibi, Fama Decusque placet;

Ergò paratur Honor Studiis, in celsa Minervæ  
Dum stabilem tentas Atria ferre pedem.

*Quibus Præstantiss. Dn. Respondenti egregios in  
Philosophia gratulantur conatus, quamq;  
auspicatissimos apprecantur*

Omnes in Illustri Philuræa Conterranei,

F I N I S.







